



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die xxiv. Aprilis In Festo Sancti Fidelis A Sigmaringa
Protomartyris Sacr. Congregationis de Propaganda Fide**

Paderbornae, 1771

Lectio VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62777)

Professionis vota in gaudio Spiritus Domini nuncupasset, in Regulari observantia omnibus admirationi fuit, & exemplo. Orationi maximè, & sacris litteris vacans, in verbi quoque ministerio singulari gratia excellens, nedum Catholicos ad meliorem frugem, verùm etiam Heterodoxos ad veritatis cognitionem attraxit. Pluribus in locis Cœnobii Præfectus constitutus, prudentia, justitia, mansuetudine, discretione, & humilitatis laude, munus sibi demandatum exercuit. Arctissimæ Paupertatis zelator egregius, quidquid vel minùs necessarium videretur, è Cœnobio penitùs eliminavit. Inter austerà jejunia, vigiliàs, & flagella salutari seipsum prosequens odio, in alios amorem, quasi mater in filios ostendit. Cum pestifera febris Austriacas militares copias dirè affligeret, ipse in extremis infirmorum indigentis ad assidua Charitatis officia toto spiritu incubuit. In componendis etiam animorum dissidiis, aliisque proximi necessitatibus sublevandis consilio, & opere adeò præclarè se gessit, ut Pater Patriæ meruerit appellari. R. In Servis.

Lectio VI.

Deiparæ Virginis, & Rosarii Cultor eximius, illius præcipuè, aliorumque
San-

Sanctorum patrociniis à Deo postulavit, ut in Catholicæ Fidei obsequium vitam sibi, & sanguinem fundere liceret. Cumque ardens hoc desiderium in quotidianâ Sacri devotâ celebratione magis accenderetur, mirâ Dei Providentiâ factum est, ut fortis Christi Athléta Præses eligeretur illarum Missionum, quas Congregatio de Propaganda Fide pro Rhætia tunc temporis instituerat. Quod arduum munus prompto, hilarique animo suscipiens, tanto fervore executus est, ut pluribus Hæreticis ad Orthodoxam fidem conversis, spes non modica effulserit totius illius gentis Ecclesiæ, & Christo reconciliandæ. Prophetiæ dono præditus futuras Rhætiae calamitates, sui que necem ab Hæreticis inferendam sæpius prædixit. Postquam verò insidiarum probè conscius impendenti agoni se præparasset, die vigesima quarta Aprilis Anni millesimi sexcentissimi vigesimi secundi ad Ecclesiam loci, Sevisium nuncupati, se contulit, ubi ab Hæreticis, qui pridie conversionem simulantes, eum dolosè ad prædicandum invitaverant, concione tumultuariè interruptâ, per verbera, ac vulnera eidem crudeliter inflictâ gloriosam mortem magno, & alacri corde perpeffus, Primitias Martyrum memoratæ
Con-

Congregationis proprio sanguine consecra-
vit; pluribus signis, & miraculis exinde
clarus, præsertim Curia, & Veldkirchii,
ubi summâ populi veneratione illius Reli-
quæ asservantur. R. Filia Jerusalem.

*In tertio Nocturno, Homilia S. Augusti-
ni Episcopi, in Evangelium: Ego sum vi-
tis vera, & Pater meus; de Communi Mar-
tyrum temporis Pasch. primo loco.*

MISSA: Protexisti: de Comm. unius Mart.
temp. Pasch.

*De Præcepto in Univ. Eccl. sub ritu dupl.
min recitand. ab omnib. Christifidel. tam Se-
cul. quàm Regular. utriusque Sexûs, quid ad
Horas Canonic. tenentur, ex Decreto Urbis
& Orbis edito à Clemente PP. XIV. sub Die
16. Febr. 1771,*

Juxta Exemplar Romanum.

Cum Permissu Superiorum.



Paderbornæ Typis & Sumptibus Wilhelmi
Junffermann, Typog. Aul. 1771.